

*Nemo, ut opinor, erit mortali semine cretus.  
 Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,  
 Dicendum est; Deus ipse fuit, Deus, inclyte Memmi,  
 Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ  
 Nunc appellatur sapientia; quique per artem,  
 Fluctibus è tantis vitam, tantisque tenebris,  
 In tam tranquillâ, & tam clarâ luce locavit.*

Similiter Romanæ eloquentiæ Parens Cicero lib. 1. Tuscul. quæst. Philosophiam, ait, esse donum & inventum Deorum. Atque his Ethnicis suffragantur omnes Philosophi Christiani. Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromat. Omnium bonorum Deus est causa; sed aliorum quidem principaliter, ut Testamenti Veteris & Novi: aliorum autem per consequentiam, sicut Philosophiæ. Melanchton in Epist. Pauli ad Coloss. cap. 2. v. 8. Esse notitias naturales veras, in creatione mentibus hominum insitas; quæ sunt normæ veritatis & certitudinis, ut numerorum, ordinis, figurarum, legum naturalium de Moribus, & Physica principia, ex quibus extruuntur multæ artes, manifestum est, & quidem Paulus nominat leges naturales veritatem Dei, & ait, Legem scriptam esse in cordibus. Et manifestum est à Deo probari numerationem, scriptionem, lectionem, architectonicam, artem Medicam; & de Architecto dicitur Exod. 31. Deus implevit eum hæc sapientiâ. Et anni rationem eruditam Deus & instituit, & ostendit, & numerare Deus jubet. Linguas esse donum Spiritus Sancti Historia Apostolorum ostendit, & de Arte Medicâ dicitur Syracidæ 38. Deus dedit hominibus scientiam, ut glorificetur in mirabilibus suis. Agnoscamus igitur arte extractas ex notitiis, quæ in creatione hominum mentibus insitæ sunt, esse res bonas, & Dei dona, & quidem sciamus esse commonefactiones, & testimonia de Deo, quia ostendunt, Deum esse sapientem; & quidem lex naturæ testatur esse Deum, & docet, qualis sit. &c. Videantur Conimbricenses in proæm. Dialect. Marius Proæm. Physic. sect. 1. quæst. 6. Kekkermannus Præcogn. Philosop. lib. 1. cap. 3. Alstedius Encyclopæd. lib. 3. cap. 2. & Præcogn. Philos. part. 1. cap. 13. Timplerus Exercit. Philosop. sect. 2. quæst. 4. Magirus Prolegom. in Aristotelis Ethicam. Casmannus Philos. Christian. cap. 4. & alii non exiguo numero.

4. Sed verò in hoc, Deum nempe esse Philosophiæ causam primam ac principalem, non tantum difficultatis occurrit, quantum in lumine naturæ, seu ratione humanâ, quæ Instrumentalis ab aliquibus, ab aliis remota, & minùs principalis seu secundaria statuitur. Illam enim tam exiguam, tamque tenuem ac parvam faciunt hodiernorum Theologorum quidam, ut in rerum essentiis atque naturis perspiciendis atque cognoscendis prorsus cæcutiat, ac locò medullæ, & nucleorum, nil nisi putamina & cortices legere, ac tam

F

aridò